



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

[Ab Angelorum Choris n. 8]

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

latam repudiat, ad Societatem nostram aduolat, paupertatem diuitijs, Castitatem connubio preferens. Sic Ibid. n. 170.

6. AB ALTERO, Ut constat in Vita P. Caroli Garnier, Alter, vt vnus è nostris ductum sequeretur, & monita. qui aiebat se à Beata Virgine collocatum in Societate: & anno 1636. In Nouam Franciam vela fecit: nullum istic erummarum, aut expeditionum genus fuit, in quo Carolus non fuerit apprimè versatus. Eorum, quos morti proximos iuuabat, Angelis Custodibus omne illud negotium impensius commendabat: & visus illi adesse aliquando fuit Angelus, cum agro ipse adesset, id quod eger de illo narrans: Vidi (aiebat) iuuenem pellucens lateris P. Caroli stipatorem: hic mihi hortator fuit, vt P. Caroli monitis parerem promptus: atque illius ductu proficere impense contenderem. Ita refertur in libello, Cuius est Titulus, Annus dierum Illustrium Societatis LESV fol. mihi 386. Romæ typis edito: ann. 1657.

7. A DVOBUS ANGELIS: Quorum Species Hæretico Et alius, vt expiaret hæresim. viro nobili, per quietem oblata est, præcisse iubentium, vti Socios vel adiret, vel euocaret, eorumque vsus operâ plane descisceret ab Hæresi: Cuius visi non est veritus omnem rationem euulgare, seque obsecuturum polliceri. Ita in Annal. Soc. ann. 1613. fol. mihi 101.

8. AB ANGELORVM CHORIS: In visu quodam mirabili, quem refert P. Iacobus Lobbetius Tom. 1. Quæst. in Domin. & festa totius anni, q. 4. in Domin. 3. post Pentecost. super illa verba, Mira Angelorum viso canentium gloriam Ignatio, Xauerio, & Missionarijs Societatis? Gaudium erit in cælo super vno peccatore, &c. Acciditque die 30. Nouemb. ann. 1650. in Ciuitate Perpimianensi: in qua tempore belli, famis ac pestis Instituta Societatis Missio ad placandam iram diuinam, & cum in regali Parochia presente populo Virgineæ recitarentur litanie, ab vno è Missionarijs Virgo sanctissima visa est in altari principe insidere caelesti luce circumfusa, & diuina quadam Maestate veneranda, hinc inde S. Ignatius, & S. Xauerius, & longe lateque diffusa Angelorum corona cantantium, ac dicentium: Gaude, atque exulta Augusta Cæli, Angelorum Regina, gaude & tu ô Ignati, gaude & tu ô Xaueri! hæc enim tua laus

Hi laboribus Apostolicis calum implent multis animarum manipulis.

laus, tua gloria, O suprema Paradisi Imperatrix: & vestra quoque laus, vestra gloria ô Ignati, ô Xaverii qui Reginae nostrae amore gaudetis, & favore. ô te Beate Ignati, qui eos natus es filios, qui tot animas à peccati vinculis, infamique seruitute eripiunt, & laboribus suis vere Apostolicis, Cælum implent tot tantisque animarum manipulis. Quæ porro felicitas? quæ beatitas ex illa esse Societate? quæ adeo constanter, atque operosè hominum saluti, ac perfectioni incumbit, vnde tantam in Deum gloriam, tantam in sanctissimam eius Matrem necesse est deriuari. ô generosi Societatis illius Missionarij! Ite læti, ite alacres, vel hac vna spe læti, cum vobis aderit vltima breuis æui meta, cum mors in oculis, aderunt à cælesti Curia tot Angeli, quot animas cælo, Deoque dedistis: aderuntque, & potenti præsidio vos munient, inducentque in possessionem gloriæ æternitatis. Quoties enim vel vnicam animam Deo per gratiam reconciliatis, toties sanctissimam Trinitatem ineffabili gaudio afficiunt.

Quibus ss. Trinitatem ineffabili gaudio afficiunt.

A quâ illi singulari cura, studioque protecti.

Et velut nutritij Maria sunt, ac illustriora sua Corona ornamenta.

Angelos habent amicos, à quibus aduersus hostes tuentur.

Quoties enim vel vnicam animam Deo per gratiam reconciliatis, toties sanctissimam Trinitatem ineffabili gaudio afficiunt, & Virginem Matrem maxima gloria, & vniuersam cæli Curiam inenarrabili lætitia cumulatis. Et hinc Pater Æternus singulari cura, studioque vos protegit, & Deus Filius oculo aspicit, aspectuque benigniore, & ipse gloriosus S. Spiritus vos amore, ac charitate prosequitur singulari: & ipsa Maria Augusta nostrum omnium Regina sub sua vos habet protectione, velut eductos è materno suo sinu filios, velut alumnos suos, ac nutritios, velut illustriora suæ Coronæ decora, atque ornamenta. Quod autem ad nos attinet, qui Cæli sumus Incolæ, & summi Numinis Angeli, & vobis in primis amici sumus, & semper expediti, vt & aduersus hostes tueamur, & omnia à Caputibus vestris mala propulsemus. ô gloriose Ignati gaude, enim vero gaude, qui filios habes, quibus vel maxime fauet cælestis Pater, quos amplectitur Deus Filius, quos impensius amat Spiritus sanctus, & potentissima nostrorumque Regina. Et tu gaude ô gloriose noster Seraphim Xaverii, enim vero

vero gaude, qui ad diuina illa animarum lucra, & dux fuisti, & lumen ipse prætulisti; tibi debetur illa laus, illa gloria, qui alijs ad Sacras illas expeditiones exemplo illustriore præfuiti. Gaude ergo, gaude magne Seraphim Xaueri, Gaude. Mariæ vero sua gloria, quæ ad pios illos ausa animos fecit, & Consilia saniora suggestit. Gloria quoque & Ignatio eiusmodi Missionariorum Apostolicorum Parenti. Gloria & Xauerio fortissimorum istorum pugilum Duci, atque antesignano. Gloria Mariæ, Gloria Ignatio, Gloria Xauerio; Gloria, Gloria, Gloria in æternum, in æternum. *Hæc (Concludit Auctor) Inter plausus, & gaudia Cælestes Genij, quorum aspectu, cantuque per mediam horam recreatus ille, de quo superius.*

